



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De regular. & trans. ad relig. Consilium CCCCLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

quantitate debitum petiit in causa conventionali compensandum esse.

De regular. & transf. ad relig.

S V M M A R I V M.

Ingredientes religionem bona quod abeant.

1. 10. Statutum impediens acquisitionem bonorum immobilium Ecclesiarum quomodo valeat.
2. Statutum prohibitorium renuntiari non potest.
3. Decretum irritans posterius & annullat omnia.
4. Legatum incapaci relictum quando in estimatione præstandum sit.
5. Decreti irritantis vis & potestas.
6. 12. Statutum prohibens acquisitionem bonorum immobilium non prohibet acquisitionem præij, quod potest confici ex venditione eorundem.
7. Fraudem legi non facit, qui laborat se conformare illi.
8. Verba in statutis præsertim correctorijs, & odiosis strictissime accipienda.
9. Legari potest rei pretium, etiamsi res ipsa legari non possit.
11. Legatum incapaci pro parte tantum, non in totum, inutile est.
13. Momentanea in considerationem venire non solent.
14. Consensus domini quid operetur in qualibet dispositione de re aliena facta.
15. Consensus futuri hæredis an sufficiat, ut de re feudali facta dispositio valeat.
16. Regularis ingrediendo Monasterium an & quando iustus sibi retinere facultatem disponendi de rebus suis tam per contractum, quam testamentum.

CONSILIVM CCCCLIX.

S VERTILIS est dispositio articuli, in quo consistit tota difficultas causæ, quæ pendet in Amplissimo Concilio Brabantie inter Ioannem, & Iacobum Zeverdonck aliosque eorum confortes Impetrantes; & Reverendum Dominum Abbatem, ac Conventum Monasterij Villariensis, pro Diego Ayala Reo citato intervenientes Reos; super vindicatione seu repetitione cortis, seu villæ de Wordesteyn, quam quondam Dominus Dionysius Zeverdonck in vita sua seculari comparatam, sub tempore sui ingressus & professionis in dictum Monasterium, per viam testamenti, seu ultimæ voluntatis dedit, donavit, & legavit prædicto Monasterio, & illius pro tempore Abbati.

Difficultatem facit non aliqua juris communis dispositio, aut consideratio; quoniam permittit, ut quidvis Monasterijs, religiosisque Collegijs, testamento vel codicillis relinqui possit, l. 1. c. De sacros. Eccles. sed nova Caroli Quinti Imperatoris in his suis patrimonialibus ditionibus in anno 1520. publicata Constitutio; per quam statutum est, ne Monasterijs, Ecclesijs, Conventibus, aut Collegijs Ecclesiasticis, vel per contractum transportentur, vel per speciem ultimæ voluntatis relinquuntur bona immobilia: addita clausula decreti irritantis, ut omnia in contrarium acta sint nulla & invalida. Quæ quidem Constitutio, quamvis saltem per rerum consequentias

Conf. Wamel Tom. II.

videatur esse contra Ecclesiasticam libertatem, Authent. Cassa c. De sacrosanct. Eccles. quia tamen non tendit directe contra collegia, seu personas Ecclesiasticas, nec super rebus Ecclesiæ; sed super profanis jurisdictioni seculari subiectis, ex communiore opinione Doctorum nec irrationabilis, nec iuri contraria omnino, sed iuridica esse putatur, Signoretus de Homod. conf. 21. Statuto civitatis, Bald. in c. Clerici nu. 2. De iud. & conf. 146. Monialis cum autoritate & seq. vol. 1. Angel. conf. 48. Quodam Francisco nu. 3. Curtius senior conf. 27. Magnificus vir nu. 8 Riminalius conf. 499. Circa statutum vol. 3. & ibi addit. 1 Et quia probatoria est, non potest tolli per quancumque in contrarium quicquidque privati hominis factam dispositionem, Bald. conf. 336. Iuxta casum nu. 2. vol. 1. cum iuri prohibitorio renuntiari non possit, l. 1. & 2. c. Ne fideiuss. dotum dent. nec quicquam efficere, ut leges vel constitutiones locum non habeant in suo testamento, l. Nemo l. si quis inquilinos & si quis scripserit De leg. 1. potestatum cum constitutio ultra prohibitionem præcedit, & quod in contrarium est, annullat, Bald. d. conf. 336. * Ea enim est natura decreti irritantis, ut per illud superior pro illicito habeat omne, quod in contrarium sit, Panor. in c. dilectionu 4. De præben. Respectu cuius constitutionis primo aspectu videtur, quod hoc relictum dictæ Villæ sit nullum, tamquam illicitum, & contra constitutionis prohibitionem factum; & quod eatenus effectum suum non operetur hoc testamentum: licet quoad mobilia eidem Monasterio relictæ iustum & efficax sit; quia quoad illa nulla extat prohibitio, l. Non intelligitur & cum ex causa De iure fisci. Sic ut per prædictum ingressum & professionem religionis, superveniente incapacitate dicti Domini Dionysij quoad retentionem; & præexistente quodammodo, saltem consecutivè, incapacitate dicti Monasterij, quoad acquisitionem, ex casu mortis civilis habentis in hoc effectum mortis naturalis, dicta Villa velut ab intestato sit devoluta ad proximos dicti Domini Dionysij in sæculo exsistentes hæredes; & per consequens, quoad illos eorumque præiudicium, sit nulla venditio ejusdem Villæ facta præfato Diego, l. Rem alienam in fine. De contrab. empt.

Sed his, dictæque constitutionis prohibitionem & ex illa assumptâ seu iniectâ difficultate, non obstantibus; dicimus, pleno perfectoque iure domini & proprietatis prædictam curiam seu villam per alienationem, quam D. Dionysius, cum dicti Monasterij consensu in anno 1538. fecit, acquisitam fuisse dicto Diego; & præfatis Actoribus vel ex testamento, vel ab intestato, ex morte sive civili sive naturali dicti Domini Dionysij eorum patris, nihil juris in eadem villa & ejus appendicibus acquisitum esse. Non ex eo, quasi hæc bona per ingressum & professionem, vel per dictum testamentum Monasterio sint acquisita; nam ea in parte obstat & impedimentum facit dicta prohibitiva constitutio: sed ex consideratione illa, quod cum aliquid, cuius commercium aliqui alijs est, relinquatur incapaci, qui sine suo delicto incapax est; ex verosimili testatoris voluntate, & benigniore juris interpretatione, utile sit, saltè ad hoc, ut pretium rei debeat, & ad id consequendum

H 13

reg

res relicta ad huiusmodi pretium inde conficiendum vendi, & extra manum legatarii poni possit, l. sed si res, l. filiusfam. §. si quid alicui de leg. 1. l. fideicommissa §. si seruo de leg. 3. Cujus usus frequens alibi est, & olim ante dictam constitutionem hic etiam in Belgio fuit in legatis rerum præsertim immobilium Fratribus Mendicantibus relictis, Bart. in l. Apud Iulianum, alias incipit Item Iulianus §. constat nu. 4. & ibi Alex. Ioan. de Imola, Ias. & alij de legat. 1. * Itaque licet supradicta clausula decreti irritantis, dictæ constitutioni inserta, hanc benigniorem interpretationem avertere videatur (vis enim & effectus illius clausulæ inficit & vitiat omnia in contrarium acta; nec quod aliquo modo contra factum est, per interpretationem quamcumque, nec quocumque alio meliore modo per se aliqui licito, sustineri potest, c. Dilecto vers. nisi forte de præben. c. pen. cod. tit. lib. 6. sed pro illicito habetur, etiam si fieret ab eo, qui decreti irritantis ignorantiam habet:) sit tamen ex duobus alternativis præceptis seu dispositionibus ipsius testatoris, ut alterum utile sit, & per alterum inutile vitari non debeat, c. Vtile de reg. iur. lib. 6.

6. Servatâ igitur dictæ novæ constitutionis prohibitione, inutile est relictum, seu legatum hoc, quatenus primo loco dictæ Abbatiz bona contraversa legantur, & relinquuntur ad tenendum, habendum, & perpetuò possidendum, d. c. Vtile; quia id vetatur expresse in dictâ novæ constitutionis prohibitione; sic ut eo respectu ne quidem æstimatio debeat, ut decidit Bartolus, in d. §. constat nu. 3. & in l. Multum interest de verb. obligat. in statuto prohibente, ne forensis bona immobilia in loco statuentium seu statuti acquirat; quasi tunc lex nedum non assilat, sed etiam resistat; & sic absurdum videatur, æstimationem illi præstari, cui acquisitione rei interdictum est, Raph. Cumanus in d. §. constat nu. 6. & 7. Nihilominus communione & benigniore opinione, post. in d. §. constat & ibi Zas. nu. 34. in acquisitione per speciem legati, seu ultimæ voluntatis receptum est, ut saltem debeat rei relictæ æstimatio: quasi scilicet statutum non resistat acquisitioni præter, seu æstimationis, Vtique addo ut Philippus Francus, in c. 1. §. confirmatos nu. 5. De relig. domib. lib. 6. ex sententia Archidiaconi, in can. Sic quidam x. q. 1. tradat etiam tunc rem sic legatam posse vendi, & pretium inde confectum retineri; etiam si testator legando voluerit, ut Monasterium vel alia persona sine suo vitio incapax, illam retineat, additâ prohibitione de non vendendo.

Quamobrem absque dubio utile est alterum huius dispositionis relictum, quatenus D. Diorysius testator disposuit, quod in eventum, quo dictæ Abbatiz non liceret habere huiusmodi bona, sed quod illi, quod minus liceret, impedimentum vel turbatio fieret; eadem Abbatia seu Monasterium dicta bona venderet, & pecuniam ex huiusmodi venditione proveniente ad redditus redimibiles, ad opus Monasterij applicaret: quia per dictam exorbitantem à jure communi constitutionem, non fit prohibitio, imò continet permissionem legati pecuniæ, ac reddituum redimibilium. Eaque est concors & constans omnium Doctorum sententia, & communis opinio, Glos. communiter ab

omnibus approbata in d. §. confirmatos, in v. domum de relig. domib. lib. 6. & ibi Ioan. Monach. nu. 6. Phil. Francus nu. 5. Alex. in d. §. constat nu. 10. Zas. nu. 34. Lud. Rom. in l. Antistius de acq. hered. & Bald. in l. Cum questio nu. 7. C. De legat. Decius consil. 55. in casu venerabilis nu. 4. Hyppol. de Marfil. sing. 132. In alienatione, Ant. Corsetius in sui singul. in dict. Mendicantes, post. in c. In præsentia de probat. quod statutum, seu lex municipalis, item cuiuscumque alterius Principis nova constitutio, prohibens ne forensis, vel aliquis alius acquirat, per quemcumque modum acquisitionis, bona aliqua immobilia, ut jure communi Mendicantes prohibentur, d. §. confirmatos, Clem. Exivi de verb. signif. non habeat locum, nisi in suo stricto casu: cum scilicet illa immobilia bona relinquuntur simpliciter & absolute; non etiam si sic relinquuntur, sub modo vel conditione, ut illa vendant; quia hoc modo non contravenitur constitutioni prohibitive, quæ prohibet effectum acquisitionis, non ipsam dispositionem, nec consilium testatoris disponentis. Non intelligitur §. quando de iure fisci. Sic quod cum hoc modo non acquirantur manui mortuæ, seu Monasterio hæc bona, nihil ea in parte contra constitutionem factum dici possit: quia scilicet eadem bona sic non efficiuntur Monasterij, nec exeunt commune commercium aut superioritatem laicalem, sed in eo, & sub ea retinentur per distractionem & venditionem, quam Monasterium ex dispositione, & utili illo altero præcepto testatoris, facere potest, & debet. Et sic in proposito satis est alterum ex duobus per testatorem, vel alternativè, vel subordinatè dispositis, non esse contrarium dictæ prohibitive constitutioni, & per consequens utile. Sic enim & is qui partim tacite (quod lex prohibet) partim palam fidem suam accomodat leganti ei, qui capere non potest, non cogitur fisco restituere, nisi in quo tacitam fidem accomodavit, d. l. Non intelligitur §. si quis palam de iure fisci.

Neque hoc modo fraus constitutioni fieri dicitur; neque contra regulam juris aliâ viâ permitti, quod unâ prohibetur, c. Cum quid unâ de reg. iur. lib. 6. quin potius censetur testator constitutioni se omnino conformare voluisse: ita ut neque consilium, neque fraus in eo constitui possit, qui constitutionis & verba, & sententiam seu mentem sequutus, id egit, ne in illam impingeret, l. Contra legem cum l. seq. De legib. idque fecit, quod per illam non prohibetur, sed tacite permittum est, disponendo quod Abbatia venderet illa bona, & sic poneret extra ecclesiasticam, seu mortuam manum, quæ est finalis intentio dictæ prohibitionis. Neque enim constitutio adversus Ecclesiasticos, tamquam adversus infelices inlurgit; quasi eis nihil, nec rerum immobilium pretium legari, vel donari possit. Nam huiusmodi sic lata secularis consuetudine Principis Christiani constitutio esset ipso jure nulla, & religioni, ac juri contraria, l. 1. & Auth. Cassa C. De sacros. Eccl. sed prohibet ipsa constitutio solam acquisitionem & retentionem in mobilium bonorum; ne stationem mutant, hoc est ad jurisdictionem Ecclesiasticam non transferantur, & commercio eximantur: cum semel acquisita Ecclesiæ, nunquam, vel non sine magnâ difficultate exeant e manu Ecclesiastica, l. Item nu. C. De sacros.

8 sacros. Eccles. *De reb. Eccles. non alienan.* † Cùm præterea verba statuti correctorij juris communis, seu exorbitantis & à jure recedentis (ut hæc constitutio verè recedit) quia jus commune permittit Ecclesijs quidvis etiam testamento relinquere, d. l. 1. c. De sacros. Eccles. strictissime sunt accipienda, *Albertus ad rubr. C. Que sit longa consuet. Anchar. in c. 1. De consuet.* secundum eorum corticem, & prout jacent; ut quidem aliquid operentur, sed minimum lædant jus commune, *Bald. in l. Maximum vitium C. de lib. præt. franc. Curt. Junior consil. 105. Viso ac diligenter considerato*: ita ut casus in statuto omisus retineatur & reguletur secundum dispositionem juris communis; sic ut prohibitio illius de uno expresso, contineat tacitam permissionem, seu saltem non includat prohibitionem de non expresso, l. Commodissime & ibi *Isaon de liber. & posth. c. Susceptum De rescript. lib. 6.* Hoc est in proposito prohibitio de non acquirendo & retinendo proprietatem rerum immobilium, non extenditur ad acquisitionem pretij earundum rerum. * Pecunie enim numeratæ (in qua consistit pretium, s. item pretium *Instit. De empt. & vend.* acquisitione ecclesiasticis personis, & corporibus prohibita non est; ut regulariter perinde licet legare pretium rerum, ut res ipsas, *DD. in l. Proprius C. De legat.* Ideoque prohibitio de non legando res, non extenditur ad rerum pretium: nam licet res mea mihi legari non possit, ejus tamen pretium rectè mihi legatur, l. *Nemo rem suam utiliter De verbor. oblig.*

10 Verum quidem est testatorem aperte laborasse, ut omnimodò hæc bona Monasterij efficerentur; sed in eo non est fraus, aut fraudis consilium; eoque minus, quod id apertius egerit, & aliud agendo non simulaverit, d. s. *si quis palam.* Non enim sic præcisa est prohibitio, quin certo casu Ecclesia etiam obtinere possit acquisitionem bonorum immobilium; accedente scilicet Principis, & Magistratus provincialium oppidorum consensu; ut expressè habet dicta constitutio. Quò respexisse videtur testator; sed in eo non constitit, propter cogitationem difficultatis in impetrando hujusmodi consensu, d. s. *constat & ibi Doct. ideoque progressus est ad eam cautionem, quæ ad extremum securissima est.* Vnde etiam fit, quòd qui incapacem hæredem instituit, & ej alium substituit, si is hæres non esset (quia scilicet non posset) non ideo nulla sit substitutio, l. *Cum proponas c. de hered. instit.* quia ad hoc laboraverit, eoque consilium suum direxerit, ut incapacem contra legis prohibitionem, hæredem institueret, cùm consilio exitus respondere non potuerit, d. l. *Non intelligitur §. quando autem: nam annullato primo gradu institutionis, testamentum initium habet à secundo, l. 3. in fine De liber. & posth.*

11 Eaque ratione non vitatur per omnia institutio, aut legatum factum ei, qui non pro toto, sed parte incapax est, & solidum capere non potest, seu irritatur dumtaxat pro eâ parte, quâ incapax est: ut vitium incapacitatis ex parte inutile faciens reliquum, non facit inutile ex alia parte, pro qua capax est, l. *Cogi §. hi qui solidum ad Trebel. etiam si testator studiosè in hoc incubat, ut totum incapax habeat, l. Si ita quis in testamento de leg. 2. & qui incapaci in tempus, quo capax erit, legat, utiliter le-*

Conl. Wamef. Tom. II.

gasse censetur; ut exitus spectetur, non consilium, l. *In tempus De hered. instit.* † Sic ut mirum non sit, si legato rerum immobilium, quoad proprietatem in casu, quo id deficeret, rectè subordinetur, & veluti substituatur utile legatum pretij; cùm id faciat testator, ut se per omnia conformet dispositioni novæ constitutionis, l. *Fideicommissa §. si quis illi c. de leg. 3.* quæ tantum invalidat alienationem, & acquisitionem rei, non per alium quemcumque actum etiam eo respectu, non tamen eodem effectu gestura aut adiectum, *Joan. de Imola in d. §. constat.*

Nec hoc in re presente movere debet, quòd saltem ex juris subtilitate per hujusmodi legatum rei ad vendendum, censetur res ipsa legata, & in momento cedentis dici, legati proprietatem jure dominiij acquisita legatario, l. *Si mulier §. si de leg. 3. l. A Titio De furtis*: * nam ut hoc verum esse admittatur (quamvis bonis rationibus demonstrari possit, ea in parte non esse legatum, sed mandatum tantum post mortem exequendum, l. *Si vero non remunerandi §. ult. d. Mandat;* & legatum esse juris effectum post hujusmodi mandati executionem) nihilo tamen magis continetur in eo aliqua dispositio dictæ prohibitive constitutioni contraria: ob id, quòd hujusmodi dominiij acquisitio, si aliqua sit, reputetur, ut in effectu etiam est, momentanea dumtaxat, cujus nulla debet esse consideratio, l. *fin. §. fin. C. De bonis qua liber.* quia hac in re & similibus oportet inspicere effectum acquisitionis, *Decius consil. 559. In casu venerabilis*: hoc est ut effectualiter res acquisita sit, & acquisita maneat. Nam acquisitioni conjuncta necessitas alienationis magis consideratur, quàm ipsa acquisitio; quia non potest dici alienatum, quòd alienatum non manet, c. *1. si. Quia iuris sit si vasa post alienat. c. l. Si pro patre §. versum De iur. em. verso.* Eaque ratione valet institutio hæredis in ejus persona, qui incapax est, si hereditatem statim alteri restituere quoque rogetur, d. l. *Cogi §. hi qui solidum, l. Eam qui De leg. 2. cessat enim causa prohibitionis, quando nihil de re apud incapacem manet.* Et hæc est verà juris in hoc articulo definitio, & communis Doctorum sententia; à quâ nec in consulendo, nec in iudicando recedendum esse scribit *Decius, d. consil. 559. nu. 4.* Quemadmodum etiam Amplissimum hoc Concilium non ita pridem iudicavit, super testamento Domini Martini C. qui ad fundationem portionum scholarium legaverat sua immobilia bona, ut venderentur, & ex eorum venditione relicta pecunia ad dictam fundationem applicaretur.

Proinde cùm conditio legati pretij horum bonorum, seu faciendæ venditionis ad illum finem (perinde enim facta, ut res in legatis poni possunt, §. *sed & tale instit. de legat.*) venerit, hoc est dictæ Abbatiæ impedimentum factum sit, quo minus illa bona retinere possit, propter defectum legis operarum, quas propter constitutionem de his bonis obtinere non potuit; & difficultatem impetrandi consensus, de quo in dicta constitutione proponitur; rectè & ordine facta est in dictum Diego dictorum bonorum alienatio, quæ per Actores hujus causæ ex capite Adriani Zeverdonck fratris dicti testatoris ob id convelli aut retractari non debet: tantoque minus, quòd idem

Hh 4

Adrianus

Adrianus D. Dionysio suo fratri testanti præsens consensum suum adhibuerit, ut in ipso instrumento testamenti continetur. * Qui consensus efficacissimus est; efficiturque ut de re consentientis quis testari possit, perinde ut re sua propria, l. cum quis decedens De leg. 3. l. 1. in l. Si fundum per fideicommissum De leg. 1. Bald. in l. Senium C. Qui testam. fac. poss. & ita quidem, ut qui semel consentit, consensum postea revocando nihil agat, Nicol. Everardi Praes. consil. 12. Casus super quo, & cons. 60. Vt vobis venerabilibus. De qua tamen revocatione dicti Adriani nihil constat: sic ut Actores huius causae nihilo magis revocandi huiusmodi consensus habeant potestatem; prout nec haberent, si illa fuisset penes Adrianum, qui in eo consensu usque ad mortem persistit. Exemplo ejus, quod traditur de non revocanda donatione per heredes donatoris ex capite ingratitudinis, si ipse donator in vita non revocavit, l. 1. l. ult. C. de revoc. donat. Qui sanè consensus Adriani hoc etiam efficit, ut ipse Adrianus venditionem, quam Abbatia dicti Diego fecit, fecisse intelligatur: quia paria sunt, alienare & alienanti consentire, l. 2. C. Si advers. vendit. prae. d. cons. 12. vers. quarto id probat, vel saltem dedisse mandatum alienandi. prae. d. cons. 60. vers. quia dico: quod mandatum sequitur executione irrevocabile est, quia res amplius integra non est, l. Si mandavero D. Mandat. Atque ita consensus iste praepjudicare omnino debet huius causae Actoribus, se pro herede Adriani sui patris, & avi respectivè gerentibus; & ex eo dicto Diego dari exceptio adversus illos, l. Sicus § venditione quib. mod. pig. vel hypoth. solvit. & ibi Bartol. l. Cum matre C. De rei vindicatis.

15 Quae consideratio consensus & mandati hoc insuper efficit, ut in proposito non videatur faciendum discrimen inter bona feudalia, qualia quaedam sunt, de quibus in hac lite agitur; & allodialia seu censuaria. Etsi enim sine indulgentia Principis non valeat de re feudali quaecumque ultima voluntas, c. 1. De prohib. seu. alien. per Freder. in proposito tamen, quia concurrunt voluntas futuri heredis, cum voluntate & dispositione testatoris; & magis quidem per speciem dispositionis inter vivos quam ultimæ voluntatis, per dispositionem illius, in cujus vita executionem habitura erat ipsa dispositio; imò habuit etiam consentiente, & in consensu perseverante, ac sic in effectu mandante eo, ad quem bona per ventura erant; nihil contra naturam bonorum feudaliū factum esse videtur. Vt nec requiritur specialis Principis indulgentia (saltem non ex moribus harum regionum Belgij) in alijs actibus & contractibus inter vivos super bonis feudalibus, Per. Jacobi in pract. tit. de act. in rem que pro feud. Alex. cons. 30. Quoniam omne datum vol. 1. Aretin. cons. 14. Viso & diligenter, Guido v. p. dec. 46 & dec. 162.

16 Quinimò cessante dicti Adriani sive consensu, sive mandato; alia ratione sustinetur hæc alienatio: ex eo, quod Dominus Dionysius sub ingressum Monasterij, facturus monasticam professionem per hanc dispositionem sibi in effectu reservaverit, & postea etiam executus sit alienandi potestatem; ita præveniendo omnem acquisitionem, quæ ex iure communi ad Monasterium pertinisset, Auth. Ingressi C. de sacros. Eccles. & propter

dictam constitutionem pleno jure primum ex casu naturalis mortis pervenisset ad cognatos D. Dionysij, post. in c. In praesentia De probat. Quamvis enim ingressurus monasterium nulla bona sibi jure domini reservare possit; cum id repugnet voto, & professioni religioni; ad monasterium de statu monacho. potest tamen in illa reservare sibi, ut de illis disponat per viam contractus; imò etiam per viam ultimæ voluntatis: quia id non repugnat regulæ monasticæ; cum de rebus alienis volente & consentiente domino, testari & contrahere liceat, ut superius dictum est, & ex Baldi sententia eleganter tradidit talon, in d. Auth. Ingressus, 77. Atque ita existimamus in hac causa sententiam ferendam esse secundum conclusionem pro parte Opponentium propositam.

De Regul. & trans. ad relig.

SUMMARIVM.

Monachus heredem habet suum monasterium;

1. Regularis ingrediendo monasterium acquirit sua tria: vocabiliter monasterio, etiam non obstante fideicommissum.
2. Constitutio nova respicit futura, non præterita.
3. Hæres mei heredis, meus quoque hæres est etiam quoadus ex devolutione consuetudinaria.
4. Testes idonei non sunt in causa ex qua compendium sperant.
5. Monachus renunciare non potest bonis sibi delatis aliisque auctoritate sui superiorum.

CONSILIVM CCCCLX.

C LARA & indubitata est resolutio causæ quam Monasterium seu Conventus monachis Sanctæ Annæ instituit, adversus Cornelium Ianssen, pro quo intervenerunt, & litè in se suscepunt heredes Henrici Wypkens, & Godtfridi Wypkens conjugum, de & super duobus redditibus; videlicet unius modij, & unius maldri filiginis; quos dictus Conventus sibi deberi contendit; * Ex eo, quod iidem redditus, per quondam Dominum & Fratrem Henricum Wypkens alterius Monasterij vanden Hage, prope Helmont (quod incendio devastatum ad hunc Conventum translatum est) professum, per ingressum religionis dicto Monasterio collati & acquisiti, Auth. Ingressi c. De sacros. Eccles. amplius quam triginta annis dicto Monasterio soluti sint; & sic ex morte ipsius ad Reos cognatos & consanguineos illius nihil inde reverti potuerit, Auth. Si qua mulier in fine C. eod. tit. Vique adeo ut etiam per testamentum substitutus, per ingressum Monasterij illius, qui fideicommissum gravatus est, excludatur, DD. in d. Auth. Ingressi, & in Auth. Nisi rogati C. Ad s. C. Trebellian. ob id, quod monasterium in successionem religionem professi proximum locum obtineat & loco filij sit, Decius consil. 426. In duobus dubijs. Ex adverso Rei hanc juris potestatem agnoscetes, nullamque controversiam de veritate & subsistentia horum reddituum facientes, neque etiam de solutionibus retrò eidem Monasterio factis, duabus exceptionibus prædictum Conventum repellere conantur. Priorem desumentes ex constitutione Caroli Quinti Imp. in anno millesimo quingentesimo vigesimo publicata; per quam pro-

hibetur